



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXII. Christus in cruce à Patre, & ab omnibus derelictus ,
non solet suos derelinquere fideles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LXXII.

Christus in cruce à Patre & ab omnibus derelictus, non solet suos derelinquere fideles.

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matth. 27. 46.

I.

Typus animatus Christi patientis, & in cruce ab omnibus derelicti extitit Jobus Propheta Husæus, quem DEUS potestati Sathanæ reliquit castigandum: *Ecce in manu tua est; veruntamen animam illius, hoc est vitam, illius serva: Sed Christo Domino in passione nec vita reservata est, proinde Jobo licet patientissimo longè fuit calamitosior, magisque desertus.*

Multas tulit misérias, languores ac dolores Paralyticus ille, qui triginta & octo annis ad piscinam Probaticam decubuit ab omnibus desertus: *Domine, hominem non habeo.* Plura per omnem vitam ac passionem suam perpeffus est Christus, ac tandem in cruce ab omnibus derelictus, qui jure merito dicere poterat: *Hominem non habeo.*

Multa sustinuit Lazarus mendicus pauperrimus & ulceribus plenus, ut ne canes quidem, ait S. Chrysoftomus, posset abigere; sed vivum cadaver jacebat, videns quidem eos accurrentes, nequaquam tamen valens depellere; usque aded illi membra erant soluta; usque aded arefacta morbo; usque aded consumpta erant afflictione. Sed plura ac graviora tulit Christus patiens ac crucifixus, verè vir dolorum, quia omne genus dolorum sustinuit. Hoc testantur inhærentes vertici spinæ, hoc cruenta flagella; hoc catenæ & funes; hoc manus perforatæ, & pedes affixi clavis; hoc facies livida tot percussa alapis, sputisque foedata; hoc omnes artus, quia à planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas. Quid ergo mirum est, quod in cruce moriens JESUS Dei Filius ad Patrem lugubri

Gimber Unus pro omnibus.

M m

gubri

Math. 27. 46. gubri sed valida tamen voce exclamaverit: *Deus meus, Deus meus, quid dereliquisti me?* Causas hujus derelictionis impræsentiarum videbimus.

2. Amici Job, ubi eum videbant in tantis constitutum doloribus, ac circumseptum calamitatibus, septem diebus luctuosissimam ejus sortem suspiriis, lacrymis & alto silentio deplorarunt: *Videbant enim dolorem esse vehementem.* Angeli ubi eratis, dum Dominum ac DEUM vestrum in cruce ab omnibus desertum conspicati estis? Et quare, obsecro ad eum non accessit saltem Angelus ille confortans, qui in monte Olivario eum in cruento illo agone consolatus est: *Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum?* Altum hic erat in cælo silentium; nulla aderat consolatio, nec speranda; Christus enim à Deo Patre, à Spiritu sancto, & à se ipso ut Deo derelictus est; hoc est, non fuit sensibiliter adjutus, sed permissus hostium potestati, quod David prævidit, unde inimici ejus dicebant: *Deus dereliquit eum: persequimini, & comprehendite eum: quia non est qui eripiat.*

3. Interim Dominus meus JESUS & Amor crucifixus continuo orans, & sub finem vitæ jam jam animam expiraturus psalmum vigesimum primum, qui totus est de passione, recitavit, ut ostenderet se ipsum esse, de quo Vates Regius vaticinatus est: *Deus, Deus meus respice in me: quare me dereliquisti?* Longè à salute mea verba delictorum morum, quod idem est, ait le Blanc: Pater mi, Pater mi, qui Deus meus es, cur benignitatis oculos ab unigenito filio tuo avertis, & omni solatio destitutum furori impiorum, ut vilem prædam, objicis? Tam acerbæ desolationis causam agnosco, non quidem peccata mea, cum nulli me affinem culpæ scias: Sed totius humani generis scelera, quæ exsolvenda suscepi: illa liberationem meam impediunt, mortique me decreto tuo ac voluntate mea addictum non patiuntur liberari. Vide hic, atque considera, Lector prudens, quomodo Salvator tuus, suos in cruce doloris expositurus, maximum omnium Patri proposuerit, nempe desertionem ac derelictionem; Relictus enim est in tormentis, ut te redimeret, & morte sua vivificaret; ut pro te condignè satisfaceret; ut suo exemplo te animaret ad patientiam; ut amor illius erga nos magis declararetur; ut majori fiducia ad eum accurreremus

in omni tribulatione & derelictione nostra, unde David: *Ibi derelictus est pauper: Orphano tu eris adjutor.* Anime mi, si in aliqua afflictione es, roga crucifixum Amorem tuum ab omnibus desertum, & non deseret te: *Non vidi justum derelictum.*

4. Nunquam observasti, Lector prudens, modum, quo Abraham Patriarcha Isaac filium suum DEO offerre & immolare voluit? Audi Scri-

Psal. 9. 14.

Psal. 36. 25.

Scripturam: *Et venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo adificavit altare, & desuper ligna composuit: Cúmque alligasset Isaac filium suum &c.* Gen. 22. 9.

Siste hic anime mi! unum te interrogo, quare amantissimus Pater filium suum obedientissimum in arâ illâ ligneâ recens erectâ funibus alligare voluerit? Et nunquid Abraham prius filio suo voluntatem suam de ipso immolando revelavit? ita est. Et nunquid filius proprio animo Patri respondit (prout habet & testatur Josephus:) *Se vitam datori Deo debere, eamque repetenti jam lato animo redditurum?* His tamen non obstantibus, alligatus est Isaac tunc 25. annorum natus ad aram ligneam, & positus super struem lignorum, ne resillire posset, aut motum aliquem inconditum & tanto sacrificio indecentem edere: Alligatus est quia ipse voluit, in quo Isaac DEO vitæ & necis Domino plenissimè dedit & velle & posse suum. Cornel. hic.

Habes hic perfectissimum typum in Christo Jesu crucifixo expletum; qui non tantum in ara crucis funibus alligatus est, sed & ferreis affixus clavis, in qua cruenta immolatione non motum aliquem inconditum, atque huic summo sacrificio, ex quo salus pendeat omnium, indecentem edidit, sed liberrimè Patris voluntati se commisit, unde ad eum in summis ac mortis doloribus confidenter dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. 46

5. Hanc veritatem per elegantem expono similitudinem. Est Pater habens unicum ac dilectissimum filium, quem malè affectum tradit chirurgis scindendum & urendum; clamat inter cruciatus filius ligno alligatus, prout fieri solet, & opem Patris implorat; sed non exaudit eum Pater, quia scit hanc ei esse necessariam medelam. Sic Deus Pater non audivit Filium de cruce ad se clamantem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ut sic sanitas & salus toti ejus corpori mystico conferretur. Ex quibus præmissis, anime mi, vide, & considera, quomodo Justitia divina hic usa sit jure rigidissimo: *Apud quemcunque, dicebat quondam Joseph Ægyptiorum Prorex furtum puniturus, fuerit inventum, ipse sit servus meus,* fuit autem furtum inventum in sacco Benjamin. Ita prorsus æternus Pater. Furtum nostrum ac delicta nostra inventa sunt in Dei Filio; & quid fecit Pater in hoc fidei jussore: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Hinc illa venit derelictio in cruce, hinc luctuosus iste clamor: *Eli, Eli lamma Sabathani,* quia DEUS proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; Et apud Isaiam Prophetam: *Propter scelus populi mei percussisti eum.* Isa. 53. 6.
Rom. 8. 3.
Isa. 53. 8.

Si autem ipse Filius Dei propter aliena delicta in se suscepta tantam derelictionem à dilectissimo Patre sustinere debuit, quanto magis

Ecclesia in
Complet.


Nadaf, in an.
cœl, 8. Jan.

Martyr. Rom.
21. Jan. &
Nadaf, hoc
die

nos propter propria peccata nostra meremur à Deo derelinqui? Proinde sæpius cum Ecclesia clamemus ad Dominum: *Tu autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos Domine Deus noster.*

6. Videamus nunc exempla Sanctorum. S. Carterus Presbyter & pro Christo crucifixo Martyr gloriosus, inter tot persecutiones Gentilium existimabat se esse aliquo modo à Deo derelictum; unde sese in latebris abscondit; sed admonitus divinâ voce: *Ego tecum ero*, audacter ad martyrii cruentum certamen processit, in quo mira à tyranno & assèclis ejus perpeffus est, dum excisis novaculâ pedum ac manuum unguibus, talis ferro trajectis, succensâ sartagine, liquato plumbo, ignitâ galeâ cruciatus est, à Christo & Angelis ejus mirum in modum recreatus & confortatus lætus cœlum ingressus est.

Desertus erat ob persecutiones Gentilium S. Fructuosus Tarracônæ in Hispania Episcopus cum duobus Diaconis S. Augurio & S. Eulogio, qui tempore Gallieni ob amorem crucifixi, quem prædicaverat, primò in carcerem trusus, exinde flammis injectus, manibus in modum crucis expansis, orans sicut Christus in cruce, martyrium suum complere voluit; cujus anima unâ cum sociorum animabus, aperto cœlo, spectantibus pluribus cum jubilo ab Angelis recepta est. Efficacem desertionis nostræ finem, quem nobis promeruit Crucifixus JESUS, in cruce ab omnibus desertus.



CONSIDERATIO LXXIII.

JESUS in cruce sitiens ardentissimum suum expressit desiderium, quo erga nostram ferebatur salutem.

Dixit sitio. Jo. 19. 29.

2. Reg. 23. 15.

I.
Vix David Rex, dum erat in præsidio, & statio Philistinorum in Bethlehem, aperuit os suum, & attraxit spiritum: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem juxta portam, sine mora tres fortissimi milites irruerunt castra Philistinorum*